



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.**

**Huth, Adam**

**Augustæ Vindelicorum, 1732**

8. De autoritate & usu pallii

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

& bona ex redditibus prioris Ecclesiæ sibi comparata. Ratio, quia æquitas suadet, ut dati ob ministerium ab Episcopis & aliis beneficiatis exhibitum fructus & redditus iis relinquuntur. Deinde Clerici juxta probabiliorum sunt Domini fructuum perceptorum, etiam superfluum, ergo.

*Resp. 2.* Fructus pendentibus probabilibus non lucratur translatus. Decisio *Rota in causa Pharensis. pens. 19. Junii 1598.* Ratio, quia beneficiati bonorum immobilium sunt tantum usufructuarii, qui fructus pendentibus non acquirunt. *L. 13. ff. qu. ib. mod. usufr. amitt.*

## TITULUS VIII.

### De authoritate & usu Pallii.

**Q.** *1. Quid hoc tit. nomine Pallii veniat? Resp.* Præcipuum Archi-Episcoporum (Patriarcharum etiam & Primatum) insigne & ornamentum de corpore divi Petri sumptum, quo Pontificalis officii plenitudo designatur. Dicitur *1. de corpore D. Petri sumptum*; vel quia benedicitur super altari S. Petri; vel quia à S. Pontifice solo confertur; vel quia significat quasi particulam potestatis Ecclesiasticæ, derivatam ex plenitudine potestatis Pontificiæ in B. Petro ejusque successoribus residente. Dicitur *2. Pontificalis officii plenitudinem per Pallium designari*; quia ante impetrationem Pallii nec vocatur *Archi-Episcopus*; nec, licet sit consecratus, exercet licite



actus majores, quos ut Archi-Episcopus facere  
 cenferur; quales sunt visitare Provinciam, Sy-  
 nodos convocare, consecrare Episcopos, dedicare  
 Ecclesias, conferre Ordines *in propria diœcesi*.

Q. 2. *Quæ sit figura hujus Pallii, & quàm anti-  
 quus usus?* Resp. ad 1. Est ex lana ovium alba con-  
 texta vestis in coronæ seu circuli modum, pectus  
 & humeros circumiens, ac 4. nigris vel rubris cru-  
 cibus distincta, anteriore parte nonnihil dependens.

Resp. ad 2. Usus illius antiquissimum testantur  
 plures: Ufos esse Pallio primis nascentis Ecclesie  
 sæculis Rom. Pontifices, perhibet Polydor. Vir-  
 gil. *L. 4. de invent. rer. c. 22.* à D. Petro missum  
 esse S. Materno Trevirensium primo Episcopo, ha-  
 bet Rupertus Tuitiens. *L. de divin. off. c. 27.*  
 S. Marco Successore S. Sylvestri Episcopo Ostien-  
 concessum, ait Platina *in vita S. Marci &c.*

Q. 3. *Quinam utantur Pallio?* Resp. Jus uten-  
 di Pallio competit. 1. Pontifici. 2. Archi-Epi-  
 scopis & his majoribus, si intra 3. menses à die  
 Consecrationis petierint. *can. 2, dist. 100.* 3. Et  
 speciali privilegio quibusdam Episcopis, uti in  
 Germania Episcopo Bambergensi, Quinque-Ec-  
 clesienfi in Hungaria, Ostienfi, Decano Collegii  
 Cardinalium, à quo Pontifex consecratur &c. Sed  
 cum differentia, Pontifex enim solus in omnibus  
 missarum solenniis semper & ubique Pallio utitur  
 cujus ratio in *c. 4. h. t.* datur. Inferiores Pape  
 diebus tantum solennioribus in Bullâ expressis, in  
 Ecclesia tantum, & quidem in Diœcesi sua, non  
 extra. *c. 1. 4. 5. 6. & 7. h. t.*